



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Benedictus Redivivus Hoc est: Benedictinij Ordinis  
Vetustißimi Amplißimique, Nostra, ac supera ætate  
Jmmarcescibilis Vigor, ac Viror**

**Bucelin, Gabriel**

**[Veldkirch], Anno Christi. M.DC.LXXIX.**

Iesu Christi Annus. M.DC.LXI. Sancti Patris Benedicti. M.C.LXXXI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38498**

non nisi *Conversi* Laici nomine voluit suscipi, agrè tandem persuasus, ut sacris initiaretur. Deinceps triginta aliquot Novitiorum Magister, penè omnium Spirituales Pater fuit; solertissimus Religiosè discipline Zelotes. Nulli culcitra (fatalem morbum excipio) nisi stramine indormijt. hispido cilio etiam in itinere, semper usus. & questus nonnunquam, ubi sidentius loquebatur, hoc

*Vir verè innocens.*

pilo non satis hirtio esse. Temperantiam adeo coluit, ut nemo recordetur, ipsum vel modicè excessisse. Dignum forsàn fuerit, istud inserere, quod Confessorio ad mortem compositus dixerat: Per DEI gratiam à tempore, quo fidem Orthodoxam amplectebatur (anni quadraginta & unus sunt) non meminisse mortalis noxæ a se commissæ. Mirum est, balbutientem cætera linguam, nec in uno apice hæsisse quoties à Cathedra verba fecit. Flagrantissimè cupivit in Sabbatho mori; obtinuit id XXVIII. Augusti, die S. Augustino sacrâ, cui Conversionis suæ primas adscripsit; nempe, quem Doctorem

*Facundus Concionator.*

habuit in via, ductorem sortitus est in patriam. Nunc anno ætatis LXV. professionis XXXIII. Sacerdotij XXXII. ulimum septennium merittissimus Prior, occidit, credo, ut novū hūdu oriretur mortalibus, quod mors extinguere rata, emunxit tantum, mucus jacet in tumulo. Dedimus ex Monasterio Garstensi Cal. Oct. M. D. CLX.

Implet splendoribus eruditionis & vitæ integrioris Hispanias universas rarum sæculi nostri ornamentum Illustrissimus & Reverendissimus Dominus P. F. Jldephonsus de Sancto Victore ex Monacho Sancti Joannis Burgensis, Regius primùm Concionator facundissimus pro miraculo suæ ætatis habitus, author insignis illius Operis, quod Titulo Solis Occidentis (Sol deel Occidente) inscripsit, in quo Archiducem Monachorum Benedictum mirifice illustravit, & Regulam ejusdem celebravit; sed & alia præstantissimi ingenij monumenta composuit. Fuit deinceps ad varias promotus dignitates, Almeriensis primùm electus Episcopus, inde ad Auriensem in Gallæcia Pontificatum promotus; hoc denique anno ad Zamorensē evectus, ubi vis talis, quem omnes merito ament, suspiciant ac venerentur. Ex Francisco de Argæer,

*Fit diversarum Eccles. Episcopus.*

Asceta S. Thiribij de Lievana. Moritur hoc eodem anno morte justorum Jaspardus de Wine, Abbas S. Dionysij in Hasbania splendidissimum

*Jaspardus de Wine, Abb. S. Dionysij.*

Germaniæ Inferioris Sydus, meritissimus Reformationis Belgicæ Auctor, promotor & propugnator, BENEDICTI REDIVIVI multis in locis resuscitator; generosissimus infinitarum injuriarum & calumniarum Triumphator; qui Apostolico Benedictini resuscitandi Spiritus zelo accensissimus, & ob hunc ipsum, irreformatis exosissimus, gaudens pro nomine & honore sui Sanctissimi Patris contumelias pati, diversis in locis, ubi Abbatem egit, per multas & magnas tribulationes ad expulsiōnem usque exagitatus, sibi contans semper, & infracto ac hilari animo omnia sufferens, ipsa patientia rofas germinante & colligente, implorata denique Desparæ ope Victor omnium exiit, & contumaciam flexit. Vir fuit præcipuæ humilitatis, modestiæ & pietatis, qui demum in Affligemienfi se condens Canobio, vitæ finem in orationibus & pijs exercitijs expectavit, meruitque felicissimum octuagenario major, haud minora Martyribus præmia consequutus, interque Illustrissimos Ordinis nostri & Germaniæ viros merito celebrandus. Ex diversorum Canobiorum Monumentis.

*Desparæ ope omnes difficultates superat.*

Moritur hoc ipso etiam anno Petrus Nivellius noster Lucionensis sive Luxonensis in Gallia sub Archidiocesi Burdegalensi Episcopus, cum sedi illi utiliter & præclarè præstitisset. Extinguit eodem anno Venerabilis Domina Anna Benedicta de Torck Transaquensis celeberrimi Benedictinarum Virginum Monasterij post sanctæ memoriæ Helenam de Fürstenberg Priorissâ, digna quæ inter illustriora nostri Ordinis lumina celebretur, Helenæ per omnia æmula, Reformationis Monachicæ promotrix mirifica, exemplar Humilitatis, & Virtutū omnium incomparabile, ita ut viris perfectis summa in admiratione esset. Die vicelima quarta Januarij hoc anno plena meritorū, ad præmia æterna evocata. Ex Monim. ejusdem Cenobij & Abbatissarum Catalogo nobis communicato.

*Petrus Nivellius Lucionensis Episc.*

*Obijt Benedicta de Torck Priorissa.*

*IESU CHRISTI ANNUS M.DC.LXI. Sancti Patris Benedicti. M.C. LXXXI.*

*Novo nostra ætate exemplo plurima Benedictina fundantur Cenobia.*

MEMORABILI BENEDICTI verè in suis, & hoc sæculo nostro REDIVIVI argumento & exemplo; cum à multis sæculis, ejusdē Mag-

ni

ni Patriarchæ & sacra DEO ipsi Hæreditas, tanto olim Apostolorum nostrorum, quin & Martyrum parta labore & sanguine; in direptione sacrilegorum, sacra facti auri siti inardescenti, & plerumque illorum, quorum partium & obligationis erat Tueri & propugnare, multis sæpè sæculis multo ære conductorum, atque inde viventium & crescentium Advocatorum & Protectorum, devenisset, perque summam in DEUM ipsum & Sanctum Patrem nostrum injuriã, sacrum profano mixtum, imo profanatum & profanum sacrilege factum esset; verã vice, quod à multis sæculis fieri desijt, ut Benedictina de novo Canobia conderentur (plerisque Fundatorum, Mendicantium sacras ades molientium, & sustentationem, eorumdem emendicationi, subditorum largitioni relinquendum) plurima passim nostris Reformatis, Fulensibus, Calvariensibus Anglicanis de novo fundata, & ne cuiquã molesti esse cogentur, dotata ac ditata sunt, cujusmodi inter Fundatores, superiore anno mortuus supremis tabulis nostris Testamento Hæredes scripsit Illustrissimus Dominus Dominus Claudius Franciscus Lulier, Dn. Dechauvierey, Præses Parlamenti & Senatûs celsissimi & Illustrissimi Dolensis in Burgundiã, Vir omni Virtutum Genere, & incomparabili sapientia & prudentia summe conspicuus, qui insigni vitæ sanctimonia Monachorum nostrorum Congregationis Sanctorum Vitoni & Hydulphi ætonitus & captus, nunquã satis laudare & amare præstantissimum illud Institutum potuit, & ut etiam augeter, & promoveret pari cum Illustrissima Domina conjugæ consensu, quisque suis sumptibus Benedictinũ struere & fundare Monasterium Numini promissit, & uterque quamprimum rem aggressus. Ille quidem morte præreptus, in hac tamen ipsa duplici condendi & dotandi munus optimæ conjugæ reliquit, & testamento solidè cavuit, ipse in novo prope vetustissimum DEI paræfanum Montis Rolandi in medio primum Chori tumulatus, remunerantibus DEO Opt. Max. & DEI Matre, cum postea ad dignius tanto Fundatore transferretur Mausoleũ, altero autem tertio post obitum anno repertus est incorruptus, tanquã, quod de liberali manu S. Oswaldi Regis pronuncia vit S. Aida-

nus Episcopus: *nunquam inveterascit hæc manus*, Deo & Deiparæ in gratiam S. P. Benedicti, placuerit, nunquã computrescere, adeo liberalè novissimæ ætatis Fundatorè. Vidimus ipsi, monumentum, legimus Epitaphiũ, & in statua, genibus flexis Deiparã, illic magnis cunctipotentè miraculis, adorantè, diu contuiti, tanto Ordinis fautori bene precati, magno solatio perfusi fuimus. Et revera, *in plenitudine Sanctorum habitare consuescens Augustissima Cœlitum Imperatrix*, tantos sibi ex eadè sanctissima & amplissima Congregatione Ministros & famulos ultro expectere, & conducere visã, uti in Monte Serrato, Eremitio Einsidensi, sexcentisque alijs locis, Benedicta inter Benedictinos suos gloriose habitat, & prodigiosa beneficia largè eo occurrentibus imperitur, ita etiam magis in Domesticos liberalis, sese ipsam visã impendere, & ipsa, ut Redivivus in suis BENEDICTUS, Deiparæ in nostros perpetui favore. REDIVIVAM se comprobare in ipsidem non desinit, haut aliter atque superstibus etiamnum BENEDICTO & Bernardo nostris, prægnantissimo gratiarum ubere, eisdem lactando, & piè ac verè maternè confovendo, ut nemini non appareat BENEDICTA in Benedictinis suis verè habitare. Memorabile profusus, & mirabile suæ in eisdem charitatis argumentum: cum superioribus belli in Burgundiã Hispanica motibus, Miraculosa imago translata, in Burgundiam Gallicam esset, & RR. PP. Capucinis credita, nulla prius edidisse signa prodigiosa, quàm suis in Monte Rolandi Benedictinis redderetur, agrè reddentibus quibus credita semel erat, et si denique Regio mandato reddere cogentur, insigni pompa, maximo procerum Utriusque Burgundiæ concursu, & comitatu reducta, & à Patribus nostris excepta, moxque magnis denuo prodigijs à Numine devotioni fidelium commendata. Antiquissima imago est, eodemque, ut antiqua fert Traditio, à S. Lino Petri Apostoli discipulo translata, semperque summo in honore habitata, à Dolensibus imprimis, quorum in oculis perpetuo est, sita in monte ad miraculum eleganti, & Divionem, Ofsonium, & immensã quasi terrarum, specia circumquaque summo oculorum atque animorum, solatio contuente.

Q 9 2

IESU

Advocato-  
rum Sacri-  
legi sicut.

Claudius  
Franciscus  
Lulier no-  
strorum  
Sanctimo-  
nia captus.

A morte  
incorruptus  
Fundator.

Deiparæ in  
nostros per-  
petui favo-  
res.

In Monte  
Rolandi  
gloriosa.